

bis obtulerit, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, 1. Timoth. 2. v. 4. Atqui non nisi dependenter à meritis Christi, ergo debuit mors & passio Christi, tanquam effectus istius voluntatis, pro omnibus hominibus offerri; quare bene damnata est à variis Pontificibus hæc propositio Jansenii 5, *Sempelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*; Quando autem vel S. Scriptura vel SS. PP. Redemptionem, Sanguinem vel mortem Christi videntur ad solos electos restringere, intelligendi sunt de redemptione & oblatione mortis quoad efficaciam & applicationem effectûs, qui est salutis æternæ consecutio, sed de his Latius I. P. Disp. XV. Q. I. & II.

DISPUTATIO XII.

De Consequentibus Unionem.

Uunionem duarum naturarum in Christo consequitur, ut prædicata naturæ humanæ propria de Verbo divino, & vicissim de Christo homine, demonstrando; hic homo dicantur prædicata divinæ naturæ & supposito propria, quam prædicationem Theologi communiter appellant communicationem idiomatum.

QUÆSTIO I.

An & quæ prædicata Dei post incarnationem prædicantur de homine & econtrà?

DICO. De homine possunt dici ea, quæ sunt divinæ nature tanquam de hypostasi divinæ nature, & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humana nature.

tura tanquam de hypostasi humana natura. S. Th. hic Q. 10. a. 4. O.

Probatur : De supposito subsistente in natura humana simul & divina in concreto dicuntur prædicata utriusque naturæ salvâ utriusque naturæ distinctione; atqui in Christo homo & Deus est suppositum subsistens in natura humana & divina, ita ut quidquid convenit naturæ humanæ subsistat in eodem supposito, in quo subsistit omne illud quod convenit naturæ divinæ; ergo de se mutuo in concreto sive importato simul supposito prædicari possunt. Ne tamen in applicatione prædicatorum erretur, attendendæ sunt sequentes regulæ.

Prima, Quoad nomen supponens pro persona Christi vel supposito Verbi divini possunt in sensu specificativo & in concreto prædicari omnia nomina, quæ aut naturam divinam, aut humanam, aut alterutrius naturæ attributum significant: quia nomina in concreto & specificativè sumpta significant id, quod habet formam per illa nomina significatam; ergo quando prædicantur de persona Christi, vel de persona Verbi, significatur persona Christi habere formam videlicet naturam divinam vel humanam vel utriusque naturæ attributa; unde veræ sunt hæ propositiones: Deus est homo. Et econtrà: Christus est Deus, & econtrà: hic homo est æternus, immensus &c. Deus est passus, mortuus, natus &c.

2da, Nomina abstracta utriusque naturæ inter se prædicari non possunt: quia in prædicationibus abstractorum, significatur identitas unius naturæ cum alia; atqui in Christo non fuit identitas naturarum, & attributorum naturas consequentium; unde falsæ sunt hæ propositiones: humanitas est divinitas, sapientia increata est sapientia creata.

Tertia

Tertia
prædicat
naturæ c
cantur, r
queretur
persona
humanit
divinitat
Christus
via, veri

Quar
prædicat
Verbi re
identitat
Christi
Christus
Christus

Quin
supponu
de Chri
de Chr
purus h

Sext
Deus &
sunt pe
dici d
Christi
ta con

citur c
put Ec
quia L
etiam

Par

Tertia, Nomina abstracta naturæ humanæ non prædicantur de persona Verbi, sed nomina abstracta naturæ divinæ de persona Verbi & Christi prædicantur, ratio primi est; quia ex hac prædicatione sequeretur identitas inter naturam humanam cum persona divina; unde est falsum; Filius Dei est humanitas. *Ratio 2di est*: Quia inter abstracta divinitatis & suppositum est identitas, unde valet; Christus est summa sapientia, infinita sanctitas, via, veritas & vita,

Quarta, Nomina concreta humanæ naturæ non prædicantur de nominibus significantibus personam Verbi reduplicativè: quia reduplicatio significat identitatem naturæ, qualis non est inter personam Christi & naturam humanam; unde est falsum; Christus quæ Deus est homo, mortalis, passus, Christus quæ homo est immortalis, æternus &c.

Quinta, Prædicata humanæ naturæ propria, quæ supponunt personam creatam non possunt prædicari de Christo vel Verbo divino, ideò non potest dici de Christo: quod sit filius Dei adoptivus; quod sit purus homo:

Sexta, Prædicata, quæ Christo quatenus est Deus & homo reduplicativè conveniunt, non possunt per communicationem idiomatum simpliciter dici de Deo aut Dei filio: quia hæc prædicata Christo ratione Deitatis & humanitatis simul sumptæ conveniunt; ita Verbum vel Filius Dei non dicitur compositus, mediator Dei & hominum, caput Ecclesiæ. Possunt tamen prædicari de homine quia *Ly homo* præter humanam naturam significat etiam hypostasim, quæ non est alia in Christo, quàm Verbi divini,

QUÆSTIO II.

*An hæc propositiones sint vera: Deus factus est homo,
& econtra homo factus est Deus?*

DICO 1. *Hæc est vera: Deus factus est homo.* S. Th. hic Q. 16. a. 6. O.

Probatur ex illo Joan. 1. Verbum caro factum est: id est, Filius Dei factus est homo, uti communiter intelligunt SS. PP, & Scholastici imò & Concilia.

Ratio est: Quia Vox factus posita in propositione cum alio prædicato significat prædicatum illud incepisse convenire subjecto propositionis, sive hoc acciderit per mutationem ipsius subjecti, ut cum dicimus: Petrus factus est albus, id est, Petro existenti accessit albedo. Sive per mutationem alterius rei, ut cum dicimus: Petrus factus est dexter, per mutationem nempe illius, qui accessit ad lævam ipsius: quia ergo in proposito prædicatum: homo: per mysterium incarnationis incepit convenire Deo subjecto dictæ propositionis, quia Deus ab æterno non fuit homo; ideò hæc propositio vera est.

DICO 2. *Non potest dici, quod iste homo, . . factus sit Deus.* S. Th. Q. 16. a. 7. O.

Explicatur & probatur: Ut hæc propositio: homo factus est Deus: esset vera, deberet subjecto homini ità incepisse convenire prædicatum Deus, ut suppositum hominis præsupponeretur ad Deitatem: cum Ly homo, supponat pro supposito; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Probatur Mi. Suppositum hominis in Christo, est persona Christi, quæ minimè incepit esse Deus, sed quamdiu fuit subsistens in natura humana, etiam fuit suppositum

positum
minis ce
DD, cur
mitti ha
referatur
tionis, u
hæc; ho

An

DICO
dic
sua
ad 3, sive
Explic
tialiter
non pote
non est h
gicè est s
vina ad
substanti
talis, un
vinum.
quæ Chri
persona,
na, ideo
Dices
Christus
Christus
æ. N
quod ly
sed aliqu
qualiterc
ratio,

positum divinum: Ergo non incepit supposito hominis convenire Deitas. Notant tamen plerique DD. cum S. Th. posse in aliquo sensu etiam admitti hanc propositionem, si nimirum *Ly factus* referatur ad complexionem ipsam totius propositionis, ut sit sensus: factum est, ut propositio hæc: homo est Deus: vera sit.

Q U Æ S T I O III.

An sit verum: Christus est homo Divinus?

DICO: Hoc nomen: *Divinum*: consuevit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur *Essentialiter hoc nomen Deus*. S. Th. hic Q. 16. 2. 3 ad 3. sive verum est: *Christus est homo Divinus*

Explicatur: Hoc nomen: *Divinus*: grammaticaliter est quidem adjectivum (quo sensu verè non potest prædicari de Christo: quia Christus non est homo Divinus accidentaliter) sed Theologicè est substantivum, eò quòd denominatio Divina addita Essentiæ vel personatibus Divinis sit substantialis seu essentialis, non autem accidentalis, unde dicitur *Essentia Divina, Verbum Divinum*. Quare, cum per illam prædicationem, quâ Christus dicitur homo Divinus, significetur persona, quæ intrinsecè ac essentialiter est Divina, ideo indubitanter vera est hæc propositio.

Dices: Hæc propositio in rigore non est vera: Christus est homo Dominicus; ergo nec Prior, Christus est homo Divinus.

R. Negando consequentiam: disparitas est: quod *ly Dominicus* non ipsum verbi suppositum, sed aliquid aliud importat in recto: nempe, quod qualitercunque sit Domini. sic dominica voluntas, oratio, manus, passio dicitur. Unde si dicatur

Christus est homo dominicus, indicatur supposito-
tum hominis habere unionem quandam non sub-
stantialem, sed accidentalem cum supposito, quod
est Dominus, quod est hæreticum; Divinus au-
tem in recto significat suppositum,

Q U Æ S T I O IV.

An sit verum: Christus est Creatura?

DICO: *Non est absolutè dicendum, quòd Chri-
stus sit creatura, vel minor Patre, sed cum
determinatione: scilicet secundum humanam na-
turam, S. Th. hic Q. 16. a. 8. O.*

Prima Pars probatur: Quando prædicatum ap-
tum est convenire indifferenter toti & parti, non
potest prædicari simpliciter & absolutè de toto sine
determinatione; sed esse creaturam, potest in-
differenter convenire etiam toti, scilicet supposito
(imò in rigore supposito primario competit
esse creatum: quia esse creatum in absoluto sensu
est habere esse à Deo participatum, quod primò
convenit naturæ quæ positivè individuæ seu sup-
positæ) & parti nimirum naturæ; ergo cum
Christo conveniat solum ratione naturæ humanæ
esse creaturam, non potest absolutè & simpliciter
dici de toto Christo, maximè cum hæretici Chri-
stum dixerint esse creaturam & minorem Patre se-
cundum personam, unde absolutè dicens: Chri-
stum esse creaturam; licet sentiret de natura, lo-
queretur tamen cum hæreticis.

Secunda Pars probatur. Quando aliquod sub-
jectum habet plures partes, potest reduplicatio
cadere super unam partem, & non super aliam;
unde sicut istæ propositiones sunt veræ: Christus
in quantum Deus est creator; & Christus in quan-

tum verbum est genitus per intellectum aeterni Patris; sic poterit etiam circa Christum reduplicatio fieri ratione alicujus ipsi competentis scilicet humanitatis, ita ut quod convenit per se humanitati prædicetur de Christo sub reduplicazione humanitatis, sive qua homine & in hoc sensu, sicut verum est, quod Christus secundum humanitatem, sive ut homo, sit factus & natus ex Virgine, ita verum sit, quod secundum humanitatem sive ut homo sit Ens creatum.

DISPUTATIO XIII.

De Oratione, Adoptione & Prædestinatione Christi.

QUESTIO I.

An pro nobis eraverit & oret Christus?

DICO: Christo, secundum quod est homo & humanam voluntatem habens, competit orare. S. Th. hic Q. 21. a. 1. O.

Probatur: Oravit Christus quia homo in terris tum pro se tum pro nobis, & adhuc pro nobis orat in caelis; ergo competit Christo secundum humanitatem orare.

Ant. quoad primam partem constat ex variis Evangelii locis: ut Joan. 17. v. 1. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* Luc. 21. oravit in horto pro se. Et Joan. 17. v. 9 ubi ait: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo. sed pro iis, quos dedisti mihi.* Quod ita intelligendum, quod illa peculiari oratione non oravit pro mundo, sed pro solis Electis, aliàs etiam oravit pro mundo, sed aliter ac pro Electis: pro illis enim oravit, ut efficaciter illis